DE NECESSITATE

LEGUM NATURALIUM

SEU

DE FUNDAMENTO INDUCTIONIS

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

G. DEREPAS

Philosophiæ agregatus professor.

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT THORIN, BIBLIOPOLA
Via dicta de Médicis, 7.

M DCCC LXXXIII

DE NECESSITATE LEGUM NATURALIUM

SEU

DE FUNDAMENTO INDUCTIONIS

DE NECESSITATE
LEGUM NATURALIUM

SEU

DE FUNDAMENTO INDUCTIONIS

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

G. DEREPAS

Philosophiæ agregatus professor.

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT THORIN, BIBLIOPOLA

Via dicta de Médicis, 7.

M DCCC LXXXIII

Dilectissimo avunculo

A. DEREPAS,

qui primus veri studium meæ menti inseruit;

Clementissimo socero

C. GOURJU,

qui se mihi sequendum sapientiæ fautorem præbuit;

Inter amicos amicissimo

V. LEGENDRE,

qui perfidelis et militiæ et disciplinarum comes fuit,

hæc dicabam.

INDEX RERUM

DE NECESSITATE LEGUM NATURALIUM

SEU

DE INDUCTIONIS FUNDAMENTO

PROŒMIUM

Leges naturæ utrum sint necessariæ, an non, et quonam fundamento inductio innitatur, nostra ætate separatim quidem, sed hinc et hinc præclare, disputatum est. Has autem duas quæstiones in unam contrahere mihi in animo est et ita explanare ut conclusiones ab his quæ propositæ fuerunt omnino diversas consequar, et, quantum potero, comprobem.

Antequam vero in medias res veniam, mihi necessarium videtur statuere quid sit proprie inductio, atque, ad hoc, imprimis hanc methodum a deductione plane secernere, quandoquidem nonnulli etiam hujus ætatis philosophi inductionem et deductionem nequaquam

radicitus inter se differre contendunt. Ut porro demonstretur inductionem et deductionem nullo pacto ad unum et idem reduci posse, optimum arbitror si antea demonstraverim principium *identitatis,* quod in deductione implicatur, et principium *rationis sufficientis,* quod supponit (in quo sensu dicetur infra) omnis inductio, nunquam in unum et idem principium posse coadunari.

I

QUOD DUO RATIONIS PRINCIPIA IN UNUM ET IDEM CONTRAHI NON POSSUNT.

Duo illa principia, identatis scilicet et rationis sufficientis, quidam subtilis auctor in unum principium *intelligibilitatis*, ut ait, contrahere conatus est. « Quod est, est : illud axioma, inquit, id sibi vult : illud quod est, etiamsi sit aliquid singulare et finitum, tamen propositione universali affirmatur, et ideo quodam modo existentiæ universalis fit particeps (1). »

Aliis verbis, quum aliquid de quodam ente affirmatur, ejus ratio essendi et principium intelligibile affirmatur, ita ut axioma : *quod est, est,* idem sit ac illud : quod est, est intelligibile (2).

Sane quidem, quoties judicamus, sic absolute loquimur ut nulla expressa restrictione affirmatio nostra minuatur ant terminetur; imo, quando affirmatur existentia alicujus entis aut cujusdam modi essendi, non solum in sermone, sed etiam in mente rem cognitam habemus quasi sit aliquid absolutum et quasi absolute

(1) Fouillée ; *Philosophie de Platon*. T. II, p. 505.
(2) Op. cit., p. 506.

cognoscatur : adeo idea Entis absoluti, id est Entis perfectissimi, in nostro intellectu vivit et in omnibus nostris sententiis occulte implicatur ! — quia forsan in omni ente illud Ens absolutum quodam modo reipsa præsens inveniri queat ; ita ut, quum hoc vel illud affirmamus, implicite Deum ipsum non affirmare non possimus. Et, ratione reciproca, quum Deus ita omnibus rebus insit, dici potest unumquodque ens existentiæ universalis quodam modo esse particeps ; quam participationem agnoscimus et merito, in nostro sermone, in quantum sermo potest absolute dicere, profitemur. Itaque quum ratio essendi cujusque entis revera in Deo inveniatur, quumque aliquod ens non sit perfectum et existens nisi in quantum Ideam, quam Deus ex æterno de illo concipit, magis aut minus assequitur, jure iterum dici potest eum qui Ideam divinam ipsumque Deum in quodam ente finito perspicit, eo ipso id perspicere quo illud ens fit *intelligibile* et quo *existit*.

At vero, nisi Deum et mundum, pantheistarum doctrina tanquam vera plane accepta, omnino unum et idem esse ducas, nullo modo principium *intelligibilitatis* eodem sensu admitti potest quo ille prædictus auctor edocere conatur. Etenim, si omnia elementa in quolibet nostro judicio implicita, integerrima strictissimaque analysi evolvamus et limitationes cuilibet nostræ de entibus finitis affirmationi implicite et inscie impositas explicite denudaverimus, eo ipso perspicuum evadet et pantheismum ipsis cogitationis legibus repugnare, et principium illud unicum intelligibilitatis revera in duo principia resolvi, quæ in unum nequaquam contrahi queunt.

Id enim axioma *quod est, est* duplici intentione de entibus finitis pronuntiari potest.

Primo quidem mera ponitur identitas seu in mente

seu in re, seu tota seu sub quodam respectu partialis, ut in his propositionibus : A = B ; homines sunt mortales. Quod si detur non jam una identitas, sed identitatum series, fit ratiocinatio ; scilicet, exempli causa : A = B ; atqui B = C ; ergo A = C ; in qua serie vel A, B, C tria sunt entia quædam sub eodem respectu eadem ; vel B est aliquod genus, A species quædam, et C quoddam ens singulare, in specie et proinde in genere implicatum. Ita ut dici possit : homines (A) sunt mortales (B) ; atqui Petrus (C) homo (A) est ; ergo Petrus (C) mortalis (B) est. In hac autem affirmationum serie, quibus una sumptis efficitur ratiocinatio, nihil aliud actum est, nisi quod duæ ideæ primum, deinde duæ propositiones, inter quas convenientia quædam aut quædam sub quodam respectu identitas detecta est, una cum altera vicissim sint comparatæ. Hoc enim affirmavi utpote aliquid sive in re sive in abstracto positum, scilicet A *esse* B, et B *esse* C sub quodam respectu ; — aut homines *esse* mortales et Petrum *esse* hominem.

Cur autem id ita se habeat, nullo modo est inquisitum, nec qua ratione A sit B et B sit C ; nec qua ratione homines sint mortales aut Petrus sit homo Igitur, si hæ tertiæ propositiones, nempe : A = C, et : Petrus est mortalis, in duarum antecedentium convenientia suam essendi rationem habere videntur et ex hac convenientia revera defluunt, hæc tamen ratio essendi seu earum intelligibilitas mere logica dicenda est. Mens enim cum semetipsa convenit, non autem extra se discessit ; et, quum peculiarem affirmationem ex affirmatione universali extraxit, tantummodo explicitam effecit unam ex propositionibus peculiaribus in propositione universali implicite inclusis. Axioma igitur *quod est, est*, si hoc modo adhibetur ut, positis duabus primis propositionibus, tertia concludatur quæ tantum in lumen id adducat quod

in duabus primis est identicum, nihil unquam in conclusione dabit, nisi quod in præmissis a mente positum est. Et ideo, ut transeundo dicam, syllogismus deducens nihil ad inventionem prodest; quin etiam hac ratiocinandi methodo tam facile stabilitur quod est objective falsum, quam quod est objective verum. Unde haud valet syllogismus, nisi subjective, ut aiunt, nec vera fit demonstratio, nisi primum duas præmissas objective esse veras alio modo probaveris.

Secundo autem modo, longe alia intentione adhibetur axioma « quod est, est, » de entibus finitis ut antea intellectum. Sit enim, verbi gratia, antecedentium propositionum veritas statuenda, scilicet « homines esse mortales » et « Petrum esse hominem. »

Quum nempe affirmo : homines mortales sunt, haud certe contendo nulla entia præter homines esse mortalia, nec categoriam « homines » et categoriam « mortalis » unam et onmino eamdem esse categoriam, quasi hominis idea, vel in tota extensione sumpta, ideam mortalitalis exhauriat. Nec magis hominem nihil esse nisi mortalem pronuntio, quasi mortalitas unicum hominis attributum seu hominis essentia videatur. Sed illud duntaxat affirmo, scilicet hominem, in parte sumptum, cum entibus mortalibus, item in parte sumptis, convenire ; atque, licet propositio nullam limitationem videatur admittere, tamen in mente inest implicita quidem, sed vera limitatio.

Itaque humanitas mortalitasque, ut non sunt omnino unum et idem, ita mutuam essendi rationem inter se præbere non possunt. Partialis enim identitas eo ipso fortuita quodam modo videtur; et quidem, ut istius identitatis rationem invenias, ex idea hominis qua homo aliquis aut universi homines designantur, ad ideam majoris extensionis, eadem comprehensione servata,

transeundum est. Quin etiam homo est ens reale et illius interitus aut ad moriendum dispositio iterum realis est, dum mortalitas mera est abstractio ; atqui istiusmodi abstractio nullius entis realis aut realis attributi rationem continere potest; unde hæc ratio alio est inquirenda. Haud equidem humanitas et mortalitas, chimæris instaurandis, tanquam entitates quædam aut occultæ vires existimandæ sunt, quæ singulos homines intrarent et relinquerent; sed eo ipso quod entia non sunt, præter necessitatem, multiplicanda, fatendum est omnes homines et alias creaturas non mori, nisi quia summus rerum auctor simul et rector æternas ideas suaque decreta mundo imposuit et continuo imponit.

Nec dicatur mortalitatem meram esse mentis humanæ ideam quæ, et abstrahendo et comparando, et generatim denique res sumendo, uno verbo *experientia* censeatur effici: ea enim explicatione nec quomodo *absoluta* fiat propositio, quum absolutum ab experientia omnino discrepet, nec quomodo hæc ipsa generatim sumendi facultas in nobis existat, explanatur. Cæterum, ut jam dictum est, non tantum quod sentimus, sed quod fit et quidem universe, affirmatur : unde, ut propositio plane intelligatur, sciendum est qua causa efficiente aut finali id quod fit, eveniat. Atqui, machina corporis mortalis per analysim physiologicam quam optime cognita et descripta, quid mortem quidem antecedat, non autem cur et qua ratione mors sequatur, intelligimus. Etenim nihil in corporis vivi dispositione et essentia detegitur unde necessario deducas hoc corpus, postquam diu creverit, dein esse debilitandum et postremo destruendum. Revera quid morte est magis naturæ vitæque contrarium? Equidem Plato alicubi contendit vitam morte et mortem vita vicissim generari; sed his verbis non aliud sibi vult Plato, nisi universam legem, qua contraria

vicissim in rerum evolutione apparent, enuntiare; at vero, ut iterum dicam, aliud est quod fit ubique et semper affirmare, aliud illius legis aut eventus rationem afferre, qua sola quod fit plane potest intelligi; imo nemo non scit Platonem ipsum has rerum leges et ultima principia in Λογῷ ipso posuisse. Ratio enim qua unumquodque ens existit aut jam non superest, a mente humana capi quidem, non poni potest; nec ab ulla mente alia patet poni posse, nisi a mente Entis illius absoluti, quod summam omnium rerum scientiam et rationem, simul et summam potentiam obtinet.

Quidam autem hic objicient totam scientiam disciplinamque deleri, si, ad explicandum quidquid fit, nihil aliud affertur nisi hæc sola propositio : quia Deus ita voluit. At primo responderi potest scientiam ab ea disputatione esse removendam, ad quam cæterum tuendam nec istic locus est nec philosophi unquam defecerunt. Scientia enim paucissimis datur, dum hic cum mente humana generatim sumpta nobis est agendum, quandoquidem rationis facultas et invicta illa cupido ultimam rerum rationem inquirendi et consequendi omnibus hominibus inhærent; hac autem cupidine excitantur in mente spontanei motus, quibus philosophum oportet attendere, imo et satisfacere : scilicet, quum mens humana impetu quodam, natura ipsa duce, infinitum quasi sitiat, philosopho est operæ pretium hanc inconsultam propensionem scrutari simul et illustrare, ita ut quisque vel rudissimus, quod sponte et merito jure appetit, nempe summam rerum suique ipsius rationem, saltem quodam generali modo possit perspicere.

Cæterum, si quis Dei voluntatem ut primam ultimamque rerum rationem et causam habeat, haud certe incusandus est quasi « desidiosum » afferat argumentum. Qui enim hanc divinam voluntatem, ut decet, sapientem

existimat, eo ipso non dubitat quin Deus haud inconstanter, haud inconsulto, id est, non perpetuis miraculis, agat, sed legibus mundum gubernet; et quo pluris hanc Dei voluntatem facit doctus ille vir, eo fit avidior inveniendi et patefaciendi has leges quibus omnia constant et diriguntur. Quum autem invisibilia per visibilia cognoscuntur, quo magis in eam sapientem voluntatem philosophus credit, eo magis omnia phænomena circumspicere et scrutari studet ut in iis sapientiæ vestigium, id est, leges inveniat : quo scientia valde juvatur et excitatur, nedum corruat.

Utcumque vero scientia sese habeat, constat hanc methodum, qua mens humana rationem alicujus entis sufficientem aut plenam intelligibilitatem assequitur, non jam esse mere logicam et immanentem, sed et ontologicam et transcendentem : quippe quum ex particulari ad universum, ex ideis peculiaribus ad summam Ideam, e finito ad Infinitum, uno verbo, e mundo ad Deum transeundum sit.

Igitur eo ipso demonstratur id axioma : quod est, est, vere duobus et plane diversis modis, ut diximus, adhiberi : nempe vel factum merum seu *quomodo* res existat; vel facti ratio, seu *cur* et *qua ratione* fiat, inquiritur. In primo autem casu, tantummodo de æqualitatibus aut identitatibus inter plura ponendis agitur; et, quidquid consequitur, patet nihil nisi meram antecedentium summam esse; equidem facta seu phænomena in continua serie disponuntur in qua primaria motus aut actionis quantitas semper eadem perstat; et ita fit scientia, in qua mentem formaliter et subjective sibi constare satis est. Econtra, in secundo casu, mens extra seipsam erumpit, ut in summa mente, tanquam in summo fundamento, innitatur, dum unumquodque ens finitum, ut ex Ente perfecto et universali pendere, ita ex illo rationem suam habere affirmat.

Ne jam ergo dicatur hæc identitatis et rationis sufficientis principia in unum intelligibilitatis principium coalescere, quum econtra adeo plane discrepent.

Sed, ut ea quæ inter se differunt in unum contrahere non par est, ita ea quæ intime connectuntur non separanda sunt : nam duo prædicta principia omnino quidem sunt diversa sed nihilominus in omni affirmatione simul inclusa reperiri fatendum est.

Nunc autem demonstrandum superest duas methodos quibus hæc adhibentur principia, eodem modo nec in umam contrahi posse, nec in qualibet affirmatione simul non inveniri. Qua disputatione forsan id statuemus (quod a priori quasi repugnare videtur), scilicet inter scientiam et metaphysicam, ut verum discrimen, ita quamdam cognationem simul et amicitiam existere. Saltem omnino explanabitur quod jam contra communem opinionem sumus assecuti, si res intente legentem non fefellit : videlicet scientiam, quæ identitate innititur, videri deductivam (1), metaphysicam vero, quæ entium rationem sufficientem inquirit, inductivam.

(1) Nonne Stuart Mill dixit omnes scientias inductivas vergere ut deductivæ fiant ?

II

QUOD DUÆ METHODI, DEDUCTIO NEMPE ET INDUCTIO, NEQUAQUAM IN UNAM CONTRAHI POSSUNT.

Revera has duas methodos inter se radicitus discrepare e supra dictis consequitur: quippe quum statutum sit deductionem inveniri in omni propositione analytica, juxta identitatis principium, inductionem vero in omni synthetica aut generali, juxta principium rationis sufficientis: quæ duo principia, ut demonstravimus, omnino inter se differunt. Oportet tamen quæstionem iterum separatimque dilucidari, ut conclusio magis ac magis confirmetur.

Scoti enim philosophi et apud nos Royer-Collard quamlibet inductionem ad hunc syllogismum convertere conati sunt: « Natura constantibus legibus regitur. Atqui in perspecta quorumdam phænomenorum serie, cunctis adventitiis conditionibus remotis, talis conditio occurrit. Ergo semper et in integra hujusmodi phænomenorum serie occurret. »

Sed, juxta eos qui soli experientiæ fidem præstant, hujus syllogismi major propositio nihil aliud summatim exprimit nisi quod ab omnibus hominibus in toto præterito tempore observatum est. Atqui hujusmodi experi-

mentis observationibusque id duntaxat quod antea evenit cognoscitur, dum hujus syllogismi conclusio de his quæ postea producentur, affirmare non dubitat : unde ista syllogismi conclusio majore præmissa longe amplior evadit. Cæterum ea inductionis theoretica explanatio firmiter et, ut opinor, penitus ab eminenti professore Lachelier confutata est : ad cujus thesim lectori eundum est.

Unum tamen animadvertendum existimo, hunc nempe syllogismum non sine aliqua hypothesi subsistere, id est, conclusionem non veram esse, nisi supponatur naturam non mutatum iri. Unde talis inductio probabilem, non certam conclusionem præbet. Imo major propositio simul ponitur et evertitur, siquidem uno isto modo ratiocinatio tentari potest : « Quæ in præteritis temporibus « evenerunt, *constanter ita sese habuerunt ;* quæ au- « tem in peculiaribus circumstantiis in tempore præte- « rito evenerunt, *constanter ita sese habuerunt ;* ergo « quæ in his eisdem circumstantiis in tempore vel futuro « evenient, *constanter ita sese habebunt.* » — Qui autem syllogismus quomodo contra necessarias methodi regulas peccet, neminem fugit.

Cum his igitur solis quæstio superest qui istius syllogismi majorem propositionem *necessariam et a priori veram esse* contendunt.

Dicitur autem veritas a priori seu necessaria, veritas illa cui mens ex ipso adhæret quod voces quibus exprimitur, intelligit, remotis omnibus experimentis, ut ista : Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Prædictæ vero isti propositioni : « Natura constantibus legibus regitur, » num hujusmodi necessitas inest ? Et primo manifestum est hanc affirmationem non veram videri nisi jam supponatur naturam existere et cognosci ; et ideo nihil omnino hac propositione affirmatur, primo

saltem adspectu, nisi quod evenit et experimentis constat. Haud igitur a priori perspicua propositio est : quæ quidem, licet experimenta excedat, tamen ab experimentis profecto exoritur. Et quum ista propositio nihil aliud sit nisi summa omnium quæ jam antea factæ sunt inductionum, inductio proprie dicta nihil unquam ex ea poterit extrahere, nisi quod ipsa inductione prius in ea fuerit inclusum. Unde, uno verbo, si quis inductionem in deductionem convertere conetur, omnibus perspicuum est meram fieri principii petitionem.

Quibus forsan objicias inductione dari quamdam peculiarem legem, non vero ideam legis generatim sumptam : quæ quidem altior legis idea ex ipsa *ordinis* notione, quæ humano intellectui naturaliter inest, exoriatur.

At primo, in rebus ipsis, lex ordinem antecedit; quippe quum res ordine non disponantur, nisi quia legibus constantibus reguntur. Equidem fateor ut leges haberi causam ordinis efficientem, ita ordinem esse causam legum finalem, quum leges profecto positæ fuerint ut sit ordo : unde logice consideranti idea ordinis ideam legum antecedere videatur, ut revera existere videtur in Illius mente qui ordinem concipit atque vult et continuo leges disponit. Sed non hic agitur de inductione in hoc summo intellectu, qui, quum et finem sibi proponit et causas disponit, ex ordinis idea hanc legum naturalium constantiam deduceret; nam deductio est si quis ex eo quod est universale ad id est quod est peculiare transeat. Verumenimvero summus ille intellectus nec inducit nec deducit, nec ullo modo ratiocinatur, quum omnia simul, absque tempore aut divisione, cogitet ; ita ut et lex et ordo apud eum omnino unum et idem habeantur. Agitur autem de inductione qualis in nostro intellectu existit ; atque id solum inquirendum est qua vice temporis et lex et ordo in mente nostra con-

cipiantur. Atqui, quum ordinem in natura regnare dicimus, omnibus patet id nos non affirmare nisi postquam nonnullas leges constanter vigere animadvertimus, primo enim *quasdam* leges manere easdem, deinde cunctas pronuntiamus; igitur legum peculiarium scientia ideam legis seu ordinis in nobis antecedit; ad quam mens humana *vera inductione* ascendit, quippe quum a peculiari ad universale transeatur.

Unum restat quo sententia, quam nunc confutare contendo, verisimilis dici valeat; scilicet si supponatur leges, quæ scientiis humanis deteguntur, haud in natura ipsa, sed in mente nostra solummodo reipsa existere. Id est, juxta hujus sententiæ fautores, humanus intellectus ita esset constitutus ut phænomenorum scientiam acquirere nequeat, nisi ea phænemena in serie disponat : quæ series duplici modo spectatur et perlustratur, hinc quidem quum ordini, quo res producuntur, attendimus et tota antecedentium summa tanquam causa consequentium efficiens habetur ; illinc vero, si econtra consequentia tanquam finalem antecedentium causam existimes, seu finem ad quem assequendum antecedentia ponantur. Ita scientia e duplici nostræ mentis necessaria lege procederet, quasi mens necessario et vi propriæ essentiæ mutuam inter antecedentia et consequentia statueret convenientiam, et vicissim illa tanquam causam efficientem, hæc vero tamquam causam finalem consideraret. Profecto in utroque casu ratiocinatio foret plane deductiva : in primo nempe, siquidem antecedentium summam consequenti æqualem esse pronuntiatur, ita ut phænomenon nihil omnino aliud sit, nisi mera suarum conditionum summa ; quum autem ita ex eodem ad idem per identitatis principium transeatur, vera deductio est ; cæterum deductio, qua ex toto ad partem seu ex universali ad peculiare transitur, nihil

aluid est nisi deductio quædam imperfecta in qua identitatis principium revera, ut diximus (1), invenitur et adhibetur. In secundo etiam casu ratiocinatio foret deductiva ; etenim, si mens necessario aliquid consequens seu phænomenon totale concipiat tanquam causam finalem antecedentium, seu conditionum quibus phænomenon fiet; item si necessario mens ab antecedentibus ad consequens transeat : profecto ex eo fine, qui menti nostræ insit, media, quæ et ipsa in mente adsint, deducere et valemus et debemus. Fas est enim sua sponte animum prius intendere aut fini aut mediis, ita ut vel ab illo vel ex his ratiocinationem ordiatur. Quocumque autem modo agatur res, una eademque est methodus, scilicet deductio.

Sed ista hypothesis, leges nempe non in natura aut rebus, sed tantum in nostra mente existere, quam Kantius excogitavit et quæ nuper a D° Lachelier, tanquam fundamentum inductionis, proposita est, nonnullis, et quidem maximis, incommodis vitiatur. Et primo, ea propositione stabilita et comprobata, animadvertendum est intellectum humanum dici absolutum : porro manifestum est hominem non Deum esse. Præterea Natura menti nostræ subjicitur, ita ut et leges et natura ipsa non jam subsistant, nisi quando eas cogitamus. Quis vero tantam audaciam æquo animo sustineat? Præsertim quum ex scientia omnino certum sit hominem novissimum ex animantibus in terra apparuisse, dum jampridem quæcumque sint humanæ vitæ necessaria, legibus naturæ jam vigentibus, producebantur. Quinimo, in hac hypothesi, scientia fit mere subjectiva, ut aiunt; nec mirandum erit si quidam audaces inconsultique animi

(1) Vide supra, I.

scientiam a priori instituere non dubitent. Denique, et id præcipuum est, dum inductionis fundamentum sic stabiliri tentatur, noster auctor omnes hujus methodi conclusiones ipse penitus evertit : siquidem leges, ita e mentis nostræ natura deductæ, non valere possunt nisi in mente nostra; id est, in nostra cogitatione et experientia. Imo, vel intra hos arctissimos fines, leges ex parte tantum certæ esse possunt; aut potius semper dubiæ remanent. Quonam enim pacto nostram mentem non mutatum iri affirmare valeamus? Et tamen, ut scientia, vel in mente, certitudinem conferat, utque leges vere constantes habeantur, nostram mentem semper eamdem fore esset demonstrandum : quæ autem demonstratio fieri nequit nisi quadam hujusmodi inductione : « in præterito tempore humanus intellectus non mutatus est; ergo in posterum nunquam mutabitur. » Unde perspicuum est quæstionem hac ratiocinatione removeri tantum, nequaquam solvi; atque, ut ita dicam, de inductionis fundamento

Adhuc sub judice lis est.

Ut vero ad meum propositum redeam, nullo quolibet modo fieri potest ut inductio et deductio ad unam eamdemque methodum reducantur. Quam conclusionem ipse Aristoteles his verbis plane confirmare videtur : « τρόπον τινὰ ἀντικειται ἡ επαγωγὴ τῷ συλλογισμῷ. » Quod alibi sic illustratur : « ὧν μὲν γὰρ ἐστι μέσον διὰ τοῦ μέσου ὁ συλλογισμὸς ὧν δὲ μὴ ἐστι, δί ἐπαγωγῆς (1). »

(1) I. Analy. II, 33 ; Vide P. Gratry. Log. libr. IV. Objicitur Aristotelem hac voce ἐπαγωγὴ enumerationis totius quasi epitome significasse : quippe quod apud eum sæpe hoc verbo nihil aliud revera exprimitur. Attamen has citatas propositiones apte interpretanti fatendum esse arbitror hujus vocis, nempe inductionis, significationem

III

UNDE, QUA ET QUO INDUCTIO PROCEDIT?

Ex jam dictis patet inductionem non ex aliquo rationis principio, explicite in mente posito, *exoriri*. Cæterum fere omnes philosophi hodierni admittunt hanc ratiocinationem ex phænomenis observatis et experientia cognitis initium habere. Imo quidam huic sententiæ plus æquo indulgent, quum hos duos cognoscendi modos, qui tantum quasi præcursores sunt inductionis, totam methodum esse existimant. At saltem certum est ab his cognoscendi modis esse inchoandum. Namque homo, quum sua sponte ad sensibilia vertitur, nec in semetipsum introspicere nec, a fortiori, ad altiora suspicere, nisi difficulter, valet, quidquid circumstat primo animadvertit. Quæ autem eveniunt, libentius superis numinibus aut quibusdam viribus haud nostrarum dissimilibus animus rudis

hodiernam aut potius Platonicam aliquo modo fuisse ab Aristotele perspectam, imo et indicatam. Alias enim non intelligeretur illud discrimen quod inter ἐπαγωγὴν et συλλογισμὸν instituit. Quo concesso, simul absolvitur P. Gratry, a quibusdam accusatus, quasi Aristotelis verba sæpius *ad se attraxisset*.

et indoctus delegat : unde haud immerito dici potuit theologiam et metaphysicam scientia priores fuisse. Scientia vero, de qua nunc est agendum et disquirendum, non constituitur nisi quum definito modo phænomena dispicere et scrutari studemus. Tunc quidquid in eis occurrit, secernitur et numero computatur, ut eorum notio *positiva*, ut aiunt, innotescat. Quum porro illud cognitionis initium magni est momenti, quumque homo, præ mentis debilitate, pronus est ad unum duntaxat, eodem tempore, considerandum, cæteris quæ ad tempus negligit aut remotis aut sæpius negatis, facile irrepit eorum error qui se hac prima notione contentos esse declarant.

At, velint nolint homines, quantacumque sit negandi cupido, spontanei rationis instinctus inquirentibus statim subeunt, saltem quum hypothesis quædam fingitur. Verumenimvero quidam sapiens auctor (1) nuper demonstravit hypothesim, a viris doctis omni ætate adhibitam, ex nativa intellectus nostri actione oriri, dum veritatem sub signis, quibus velatur, agnoscere obstinata invicta que cupiditate aggredimur, seu, aliis verbis, dum ens unum perfectumque assidue et quasi necessario inquirimus, quum omnia quæ circa nos sunt semper fiunt et mutantur. Adjuvante enim hypothesi, omnis materia quam observando collegimus, in quemdam ordinem disponitur; et illud est minimum hypotheseos munus. Sed, quod longe majus est, hypothesi supponitur et quasi anticipatur lex ipsa necnon rerum cognoscendarum verus ordo, scilicet quod scientia per leges est instituenda. Tum experimenta nosmetipsi efficimus, id est, quæ eveniunt, rursus et sub quibusdam conditioni-

(1) Ern. Naville. *Logique de l'hypothèse.*

bus evenire cogimus, ut propius penitusque valeamus scrutari et sic comprobetur hypothesis, quum quod conjiciebatur tandem certum esse demonstratur.

Quum autem eo perventum est, quid certe tum in mente adest? Remotis certe omnibus quæ in phænomenis perpensis fortuito accidunt, compertum est *quamdam* conditionem semper præsentem fuisse; verbis autem quibus hæc conditio enuntiatur, simul constat et exprimitur *lex* ipsa (dicetur infra quid proprie hoc verbo sit intelligendum). Qua lege non solum ea phænomena perpensa, sed etiam quidquid in eadem serie antea productum est, imo quidquid postea producetur, constanter regi affirmamus. Atqui hæc universa legis extensio, proprie et vere inductio est.

Sed longius est prætereundum : nam ultima nostrarum notionum ordinatio nondum perfecta est, nec menti, quæ semper ad unum tendit, omnino satisfecimus. Quum enim plurimis inductionibus diversæ leges compertæ et constitutæ sunt, hæc multiplex scientia denique est ad unum reducenda. Tum ampliores leges, quibus priores continentur, inquirimus, donec aliquando legem inveniamus ita unam et universam ut omnes alias leges quasi contrahat : quod fecit aut saltem tentavit, et quidem haud inepte, hodiernis temporibus, H. Spencer : cujus inceptum adeo intellectus humani propensioni quadrat ut nequaquam mirandum sit, si fere ab omnibus huic de evolutione doctrinæ, ut ait, tantopere faveatur.

Utrum vero hac lege, quam excogitavit enuntiavitque ille auctor, plane compertum fit quomodo revera mundus ille noster fuerit productus et concreverit, haud nobis explanandum (1). Affirmatio autem certa, quæ

(1) V. *Logique de l'hypothèse*, 3e partie, ch. IV, Abus de la recherche de l'unité.

illa audaci doctrina involvitur, et qua doctrina ipsa facilius animos allicit, sic enuntiari potest, scilicet : « Universum lege una et suprema constare simul et regi, » et ita recidimus ad id principium quod Scoti primam propositionem ad inductionem in syllogismum deductivum convertendam usurpabant ; sed apud Spencer propositio longe magis est, ut ita dicam, densata et absoluta. Quam vero asseverationem quomodo et hic et illi et ipsi nos assequi possimus, nisi quod cunctæ peculiares inductiones in hanc totam reducantur? Nempe : « Nonnullæ naturæ leges quæ hactenus cognoscuntur, videntur esse constantes : ergo prorsus omnes naturæ leges constantes dicendæ sunt. »

Quo posito, si hæc de lege disquisitio conclusioque rationis lumine illustratur et perspicitur, constat nos omnes, philosopho approbante, persuasum habere non modo res ita esse, sed etiam ita esse oportere, adeo ut illa inductionis experimentis innixa conclusio cum ipsa *ordinis* notione et rationis ipsius essentia convenire videatur. Omnino enim perspicuum est absque aliqua norma nec res subsistere nec vitam evolvi et progredi posse : quippe quod, si fors sola in mundo inordinato existeret, eo ipso quælibet rerum ratio tolleretur, ita ut neque causa efficiens neque causa finalis jam admittendæ essent, nedum inquirendæ : adeo finis, seu, quod idem est, ordo necessarius est ad causam quamlibet efficientem, quæ constanter agat, supponendam, imo et intelligendam ! quod tamen solum fit scientiæ *materia*.

Ita igitur inductionis conclusio ad principium rationis vergit. Equidem illa conversio non perficitur nec mens ab experimentis ad rationem ascendit (qui est omnis inductionis processus), nisi quia illud ordinis principium secreto imperio instat intellectui et cunctam disquisitionem latens regit. Non quod revera absolutum ex

eo quod ex parte est unquam fieri possit; et id Scoti pleno jure in suis de inductione indagationibus aminadverterunt. In hoc autem erravere, quod præfatum ordinis principium utpote a mente explicite positum existimarunt, quasi nos protinus quod ex parte est ex toto deducamus. De toto quidem obscura nescio quæ notio in mente insita inerat; sed, postquam partes experimentis plane perspeximus, eo ipso totum, quo partes vigent et involvuntur, sensim intellectui clarius et expressius innotescit. Itaque, ut fortasse in prima ætate theologia, rudi quidem modo, apud homines agrestes et imperitos prævaluit, ita labentibus sæculis scientia, quam conscientia comitatur, apparuit; sed scientia ipsa, auxiliante metaphysica, mox ad absolutum mentem reducit, nedum theologiam destruat: adeo magis ac magis verum est præclarum illud illustris philosophi: « ut parva scientia a Deo removet, ita scientia magna rursus ad eum convertit. »

Notio igitur ordinis nec esse inductionis fundamentum neque, juxta scientiam logicamque, valere potest, ut verus fons certitudinis habeatur, nisi quum mens omnino conscia eam perfecta evidentia perspicit. Tum denique verum inductionis fundamentum dicendum est non methodi initium (ὑπόθεσις) sed finis (ἀνυπόθετον τέλος): atque, quum Plato docet inductionis terminum esse ἀρχὴν, seu principium, animadvertendum est apud Platonem principia esse Ideas, quas omnium entium exemplaria et essendi rationes esse arbitratur.

Ita, dum syllogistica deductione primo ponitur quædam universa propositio, ex qua peculiares aliæ detrahendæ sunt et revera detrahuntur quin mens hanc propositionem excedat, siquidem peculiares reipsa in ea continentur, ita ut hæc methodus pleno jure *immanens* dicatur: econtra inductione dialectica, ut Plato ait, vere

est methodus transcendens, qua mens, in peculiari innixa, quasi sit basis ut impetum faciat (οἷον ἐπιϐάσεις τε καὶ ὁρμὰς), dein ad universum, quod peculiari manifestatur quidem, non vero continetur, ascendit. Aliis verbis, inductione a sensibilibus ad intelligibilia, quæ his manifestantur, transimus : quo in processu, Idea simul et immanens et supereminens ostenditur : immanens quidem, in eo sensu quod, in entibus finitis, ea est ratio sufficiens et subsistens ; supereminens vero, quia in summo Intellectu, tanquam in proprio loco, perstat. Quum autem mens humana, in qua etiam aliquo modo, nobis quidem non nisi confuse consciis, adest divinus ille intellectus, ex rebus unde proficiscitur ad finem seu principium Platonicum progressa est (ἐπ'ἀρχὴν ἀνυπόθετον ἐξ ὑποθέσεως ἰοῦσα) et omnium rerum Principium quasi attigit (ἐπὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν), jam umbrarum opinionumque regionem (δοξάν) relinquit, nec tamem mere in abstracto conatur et manet, in quo syllogismus quasi per discursum veritatem in abstracto assequitur : sed vere ad intuitum (νοήσις) denique pervenit et veram illam adepta est scientiam (ἐπιστήμην) quæ non jam tantum ad meram, ut ita dicam, *generalisationem* spectat, seu ad summam experimentorum in abstracto sumptam (τὸ καθόλου), sed ad ipsum hujus summæ principium (τὴν ἀρχὴν) : quod quidem principium Infinitum, Perfectum, Summum Bonum dicendum est.

Tum denique noster intellectus veritatem contemplatur et in ea quiescit, quia vivam certitudinem, cui mens inhiabat, tandem consecutus est et possidet.

IV

DE IDEARUM ET LEGUM UNITATE

Si ad quædam Aristotelis verba spectes, inductio (ἐπαγωγή) nihil esse videtur, nisi quoddam enumerationis epitome, quo toti omnia tribuuntur quæ in ejus partibus, si omnes cognitæ supponantur, detecta sunt. Attamen, ut jam diximus, ex conjectura est probabile Aristotelis mentem aliquanto latius intelligi et posse et debere : quippe quod summus ille philosophus in naturæ scientiis magis versatus erat quam ut verum hujus methodi munus illum fugerit. Quum autem, non minus ac Plato, profiteatur scientiam ad universum spectare et tendere, jure existimandum est illud esse universum quod inductione datur ; et ita poni præmissas e quibus conclusiones dein deductivo syllogismo detrahentur. Ipse enim Aristoteles nonne scripsit : demonstratio syllogistica (1) ex universis, inductio autem ex particularibus ; universa autem dari nequeunt, nisi inductione :

(1) Nam vox ἀπόδειξις, sic ἐπαγωγή opposita, non alio modo capi posse videtur, nisi ut syllogistica demonstratio.

εστι δ'ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου, ἡ δ'ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος ἀδυνατον δὲ τὰ καθόλου θεωρῆσαι μὴ δι' ἐπαγωγῆς. »

Utrum illud universum, ea inductionis conclusione datum, sit mera lex, id est, quædam abstractæ voces, ut plerique putant, an summi et vivi Intellectus ideæ, ut ex prædictis sequi videtur, an simul sit utrumque, nunc est explanandum (1).

Equidem quum vir quidam doctus, mundo acriter observato, legem aliquam detegit, ipsos rerum processus mutare non sibi assumit : in scientia scilicet, non in natura sic aliquid novi affert : siquidem hac lege, quam conceptis verbis definit, semper et ubique res fuerunt gubernatæ ; quæ lex quum hactenus ignota fuisset, noster ille vir laudatur quod eam detexerit, non autem quod finxerit. Quum enim scientiæ fautores in omnibus locis temporibusque id quod affirmant valere contendunt, eo ipso fatentur suis verbis enuntiari ea quæ multo prius fiebant quam ab hominibus naturæ arcana fuerint inquisita : quæ profecto ut fiant nequaquam ex scientia pendent.

Itaque, si natura non ab homine regitur et scientiis tantum investigatur reperiturque quonam modo res fiant, cuinam referendus est ordo qui in tota rerum serie tam perspicue viget ?

Hic vero cuidam veræ superstitioni offendimus cujus vi et impulsu multi hodierni, sive docti, sive etiam philosophi, hujus ordinis rationem satis reddidisse arbitrantur, quum hanc vocem « leges » pronuntiavere ; semper enim ex eorum ore audias quasdam hujuscemodi

(1) Quo refelletur objectio quam contra P. Gratry olim extulit Sais- (*Rev. des Deux-Mondes*, 1er *sept.* 1855). Hic enim auctor, ut probet inductionem scientificam ab illo male esse interpretatam, legem non aliud nisi phænomenon generatim sumptum esse affirmat, quod probandum esset.

voces : « æternas rerum leges, conditiones phænomenorum necessarias, proprias materiæ qualitates, etc. ; » nec tamen ulli ex eis curæ est utrum aliquid revera existens his verbis designetur. Porro « leges, conditiones, qualitates » apud eos qui scientiæ et philosophiæ, ut aiunt, *positivæ* indulgent, nihil sunt nisi meræ voces quibus exprimitur quid continui constanter in phænomenis appareat. Quonam autem pacto meræ hujusmodi, ut ita dicam, abstractiones aut æternæ aut necessariæ aut ex ipsa rerum essentia esse valeant? Quomodo præsertim haberi possint tanquam causæ efficientes hujus ordinis in re subsistentis? Numquid in abstracto positum illud quod in re est, unquam producet?

Revera, seu conscii sint illi auctores, sive non, quum has voces continuo adhibent, legibus quasi quamdam hypostasim, ut verbo Kantiano utar, attribuunt, ita ut leges sint quasi entia seu entitates, aut quædam vires occultæ, creandi capaces, uno verbo, quædam veræ deitates : adeo ineluctabili impetu rapimur ut in omnibus aliquo modo Deum, aut saltem divinum, reperiamus !

Et quidem, id necessarium est nec possunt prædicti viri non sic loqui aut cogitare. Nisi enim dicas nullam plane esse ordinis causam, et varia hujus mundi elementa fortuito ita convenire ut, agente sola fortuna, quæ omnino cæca est, res tamen, sive in toto, sive in partibus, in unum concors cohæreant (quod sane scientiæ ipsi et philosophiæ valde repugnat), necesse restat leges cum causis, tanquam unum et idem, esse adæquandas, et sic mera verba in personas seu hypostases convertenda. Nec alia necessitate hi philosophi qui psychologiæ *positivæ* indulgent, remota unius ejusdemque mentis vi efficiente, denique adducuntur ut tanquam tot entia cunctos animi affectus habeant, quum tamen animum ipsum esse verum ens denegent : itaque

eodem tempore quo omnes vanas entitates tollendas esse clamitant et tollere contendunt, ecce quot sunt animi affectus, tot parvulas personas fingunt quæ et sunt et agunt et vivunt, et societatem inter se efficiunt et sibi mutuo manum præstant et consertis brachiis ambulant; quæ, uno verbo, sicut veri homines plane sese habent (1).

Si quis ergo legibus ipsis creandi et providendi vim assignat, non modo superstitionem, sed veram idololatriam admittit : qui error hoc uno modo vitabitur, si, falsis numinibus remotis, verum Deum profitearis, et leges, absque ulla dubitatione aut ambage, tanquam illius ideæ et imperata ducantur. Tum denique, quidquid de legibus dicitur vere intelligi potest; nec quidquam jam impedit quin vires in re, non jam in abstracto valeant; quin ordinis et rerum convenientiæ causa efficiens habeantur. Etenim divina voluntas simul et omnipotens et omnisciens est dicenda, nec prævidens sed perspiciens est. Aliis verbis, ut in Deo intellectus et voluntas sunt aliquid unum et idem, ita Idea et lex, in creatione aut providentia, segregari nequeunt; vel potius Idea simul et lex et causa existimanda est.

Causa autem est et efficiens et formalis et finalis, seu, uno verbo, omnium entium ratio sufficiens et subsistens. Et, quum apud Platonem dicitur sensibilia non existere, nisi quia intelligibilibus participant; quumque Aristoteles docet quodlibet ens non a potentia ad actum transire, nisi eo quod a summo actu attractum ad propriam perfectionem tendit ut, quantum est in rerum natura,

(1) Taine in opere quod inscribitur « de l'Intelligence » miram hujusmodi fictionem evolvit, in qua omnes animi affectus, tanquam in quadam fabula, personarum partes agunt, haud equidem sine maxima legentis delectatione : tanta est auctoris vis imaginativa, adeoque ad animum vel abstractis præstandum excellit !

actus in eo fiat : vix mutatis verbis, omnino eadem est doctrina. Si quis enim actus seu entis generationem Ideæ vi et præsentia explicat; aut si quis docet motum non intelligi nisi ex ineluctabili impetu ad terminum qui est actus : in utroque casu entia perfecta propriam perfectionem inhiare, et, quantum in eis est, consequi videntur. Quippe hoc uno *sunt* entia, siquidem multiplex species vix *esse* dici potest; nec quidquam vere *est* nisi eo quod *unum* tum in Idea, tum in re subsistit. « Quod « in Platonis doctrina, egregie dixit P. Janet (1), nun« quam periturum puto, Ideæ est principium : scilicet « esse cuique homini civitatique Ideam, id est quoddam « exemplar seu quemdam sensum propriæ perfectionis « ad quam magis minusve perspicuam omnibus viribus « tendimus; ad quam consequendam omnes nostri cona« tus et actus in hoc mundo pertinent; illud autem « exemplar seu Ideam ab humano intellectu concipi « tanquam quid reale, non vero sola imaginatione fingi « aut a nobis somniari propter imbecillitatem; Deum « denique omnium rerum esse et initium et medium « finem, ita ut, quidquid veri aut pulchri a nobis tan« quam reale cogitetur, ipse Deus cogitetur et diligatur : « hoc in doctrina Platonica usque permansurum. »

Idea vero, ut entium ratio subsistens, ita lex est phænomenorum. Nam si leges a quadam voluntate imperatæ sint, et hæ leges simul et humanæ scientiæ et ipsis rebus impositæ demonstrentur, id fieri nequit nisi quia voluntas illa ex qua leges defluunt, et humana mente et rerum natura est superior, nec alia lex est, nisi divina ipsa et sapientissima voluntas. Tum et ordinis hujus qui mundo perspicue inest et illius unitatis quæ in multiplici phænomenorum specie apparet, ratio suf-

(1) *Histoire de la philosophie morale et politique*, liv. I, ch. II.

ficiens datur, eo ipso quod entia quæque ad ipsorum ideas obedienter, quamvis imperfecte, impetu continuo tendunt et ita ordinem constituunt.

Nec aliud docet Th. Jouffroy quum ordinem definit « motum ipsum quo res omnes ad suum finem tendunt : » siquidem eo ipso existit ordo, quod entia, sive fato, sive sponte ad proprium archetypum, ut ait, id est, ad Ideam quam Deus de eis concipit, continenter spectant et omni conatu nituntur; constans autem alicujus entis ordinatio et propensio qua proprium finem inhiat, ipsa illius lex est. Quid enim sunt, exempli gratia, leges a Kepler enuntiatæ, aut leges illæ juxta quas corpora cadere demonstratum est? Nonne vocabula ipsa quibus exprimitur compositus rerum processus, quo seu astra, sive corpora in genere, ad proprium, ut ita dicam, attractionis centrum assidue vergunt? Quid rursus leges illæ sive in plantis, sive in animantibus detectæ? Nonne verba quibus indicatur vitalis plantarum aut animantium processus prout proprium cujuslibet exemplar, magis ac magis in dies revera repræsentatur? Atque, si agitur de his qui *evolutionem* docent juxta quos variæ viventium species, una ex altera, naturæ viribus progignuntur, plane idem iterum dicendum est. Etenim sive specierum forma sit omnino immota, sive non, saltem certum est hanc specierum formam aliquo modo permanere : atqui, nisi contendas varia rerum elementa suum exemplar et archetypum cognoscere et ita vi sapienti esse prædita ut sponte sua illud exemplar assequi conentur, profecto fatendum est Deum ipsum has ideas et consilia ex quibus res in ordine permanent et posuisse et servare velle. Unde in hac *evolutionis* philosophia, sicut in omnibus quibuslibet doctrinis, lex aut mera est abstractio, in hypostasim aliquo modo conversa, aut vera manifestatio divinæ voluntatis quæ gradatim et continuo totam

mundi ideam et seriem efficit et prosequitur : adeo fieri nequit ut sive in hac doctrina, sive in qualibet alia, Deus removeatur (1).

Igitur inductio apta est methodus tum scientiæ quæ leges invenit et definit; tum ontologiæ quæ summum ens ejusque ideas assequitur : unde scientia et metaphysica nec separandæ nec reipsa distinguendæ sunt (2). Ut enim qui aliquid veri cogitat, Deum ipsum cogitat; ita qui veras naturæ leges detegit, intelligibilia, id est, Deum per sensibilia intuetur. Itaque, quum de legibus quæstio est, et scientia cunctis laudibus effertur, revera de ideis divinis agitur et laudes ad Deum pertinent. Imo summa scientia nihil aliud est nisi intuitio qua Deus in suo Verbo, apud Platonem Λόγῳ, quiquid fieri potest, quidquid revera existit, contemplatur. Unde quidam sapiens auctor haud inepte dixit : « Homo cogitat, « sed Deus est ipsa cogitatio; homo sæpe aliquid veri « assequitur, sed Deus ipsa veritas; homo scit aliquid, « sed Deus ipsa scientia ; quæ quidem vox *scientia*, si « de alia qualibet mente agatur, nonnisi minutissimum « sensum et momentum retinet (3). »

Uno denique verbo, lex et causa nihil aliud sunt quam Idea; Idea autem in Deo est.

(1) *Etudes sur l'Evolution ;* Ludovic Carrau.

(2) Dus Saisset (*art. præcit.*) contendit P. Gratry infinitum mathematicum pro reali et concreto infinito sumpsisse, quem errorem accuratim avertit noster auctor, quum econtra ipse Saisset meras abstractiones, scilicet leges in se consideratas, pro quadam re aut vi activa habet. Quod autem fieri nequit nisi leges tanquam divinæ ideæ ducantur.

(3) C. Charaux : *La philosophie et la science.* Leçon d'ouverture du cours de 1879-80.

V

DE NATURÆ LEGUM NECESSITATE

Quod si naturæ leges sunt Ideæ divinæ, quibus phænomenorum productio dirigitur et hujus mundi fit ordo, non satis est si quis eas esse *constantes* tantummodo affirmet ; aut saltem hæc verba, summo ipsorum sensu, non minus ac si de ipsis Dei attributis agatur, usurpanda sunt.

Primo scilicet leges æternæ sunt. Neque enim satis affirmat si quis contendat has leges et in his quæ evenerunt valuisse et in his quæ evenient esse valituras, uno verbo, per totum hujus ævi spatium, quale experientia cognoscitur, inveniri ; sed vere dicendum est, vel extra fines temporis quod mundo æquale est, has leges cogitari ponique, imminentes quibusvis entibus quæ sub temporis conditione et limitatione fierent.

Equidem et illa entia quibus constat universus et legem ipsam, sed alio modo, Deus æterne videt et vult : quippe Deus, ut æterne vult hæc entia existere, ita et æterne vult ea suo tempore nasci, quum scilicet causarum secundarum connexione et juxta rerum ordinem producentur ; siquidem phænomena præbent tum sin-

gulares circumstantias quibus exercentur leges, tum varias cum motuum æqualitate mutationes quibus eædem leges manifestantur. Quod si vero de ipsis legibus agatur, non jam necesse est ut inter voluntatem æternam et temporalem exsecutionem distinguatur : nam ut leges, in quantum leges sunt, dempto quolibet peculiari effectu aut remota vel tota effectuum summa, voluntas et ideæ sunt Dei, ita proprie et revera æternæ dicendæ sunt.

Sequiturne, si mundus ille noster finiretur et alius quivis fieret, ut eædem leges hunc alium mundnm gubernarent? Primo respondere possum, juxta Leibnizii sententiam, hoc verbo « *mundus* » mihi designari universam rerum creatarum summam : unde unus mundus ex altero secerni nequeat; neque enim facile est plures et inter se alienos mundos concipi, quum mundus ille noster, si minus æternus, at certe immortalis sit. Cæterum utrum leges hujus præsentis mundi sint æternæ, annon, nostra quæstio ab illa disquisitione minime pendet : nam quum de *hoc* mundo agitur, de legum exsecutione quæstio est, non jam de principio. Mihi ego licet, prætermissa objectione, meam præfatam conclusionem confirmare : nempe leges, ut leges sunt, proprie et revera æternas esse.

Item sunt universæ, seu, quod idem sonat, immensæ, absque ulla spatii limitatione vigentes. Non enim divina voluntas hic alia est, illic alia : et ideo apud nos quiquid scientia detegitur, non solum de mundi partibus quas observare valemus, sed de toto universo, indefinitum spatum amplectente, affirmatur. Equidem nonnulli physici, tanta audacia perterriti, nonnisi dubitanter et moderate pronuntiant : quippe quod quidquid experientiam excedit, haud cognosci posse contendunt; quanquam variæ ipsorum sententiæ, quantacumque sit limitatio,

longe tamen experimentorum fines prætereunt. Verumenim vero qui vere est doctus nec quasi quodam infiniti horrore stupet, hac vana moderatione non gloriatur ; nec profiteri dubitat leges in toto universo vigere, ita ut nulla mundi pars legibus non regatur. Imo dicendum est leges absolute sumptas non magis divisibili spatio quam definito tempori subjici : nam quilibet motus alicujus corporis ut singularium motuum summa haberi potest, in qua serie et spatia perlustrata et tempora usurpata, si ad experientiam spectes, distincta apparent ; nec continuitas concipitur nisi quum rationales de immensitate et æternitate notiones conceptibus de spatio et tempore ex experientia fluentibus immiscentur : unde non phænomenorum sed legum est continuitas. Ita videlicet, etsi cœli interpres variis temporibus varios alicujus astri status notet et computet, quotquot sunt hujus observationes, necesse et tempora et status inter se differunt ; linea autem curva, in qua diversis punctis notati status graphice repræsentantur et colliguntur, continua est et proprium legis schema fit : quæ tamen lex sola vere continua est eo quod spatio non subjicitur. Itaque leges, ut vere æternæ, ita universæ merito dici possunt.

Simul eo ipso sunt absolutæ : siquidem subsistunt, remotis omnibus phænomenis aut conditionibus. Equidem, ut exerceantur, corporibus opus est ; quin etiam, quum lex inter sensibilia incidit, non potest non quodam modo flecti, ut quasi indulgeat imperfectionibus imbecillitatique virium physicarum quarum agendi modus nunquam propriæ ipsarum legi rigide et omnino est consentaneus, eo ipso quod vires creatæ nonnisi imperfecte agere valeant. At lex in se sumpta, seu potius in Intellectu summo qui eam concipit, nequaquam pendet ab eventibus quos regit : quippe quod, omni motu

sublato, lex tamen subsistit, imminens cuilibet motui qui crearetur. Quod si contendas legem nihil aliud esse quam eventum generatim sumptum, neque absque phænomenis concipi, haud jam explicari potest quomodo lex illa sit universalis ; simulque negatur illius æternitas. Tum, ut diximus, finitis viribus eorumque motibus attribuitur aliquid absoluti quod propriæ ipsarum naturæ omnino repugnat. Quod enim producitur ex parte est ; sola autem lex est absoluta. Nempe quum lapis cadit, aut ascendit fumus, aut discus plombeus declivum in aere cursum peragit, hæc cuncta phænomena, quæcumque conditiones antecedant et inflectant, rigido legis imperio reguntur : ita ut, si omnes modificationes quas adventitiæ causæ his motibus inferunt definiantur et e toto motu detrahantur, eo ipso lex quæ decidentia corpora regit manifesta in propriis, ut ita dicam, formulis remaneat. Atque ipsæ modificationes suas quoque leges servant : quæ quidem, ut quævis leges, absolutæ dicendæ sunt.

Vix tandem aliquid novi additur, si leges esse immutabiles contendamus, dum phænomena, quibus exercentur, et a cæteris et inter se discrepant. Etenim, exempli gratia, ex quo observatur motus corporum gravium ad proprium centrum decidentium, nunquam certe duo corporum lapsus inventi sunt qui omnino iidem in circumstantiis plane iisdem evenere : quum, econtra, primus impulsus, rapiditas, obstacula vincenda, perlustrata spatia, tempus adhibitum, densitas, etc., omnia denique in corporibus quæ moventur inter se differunt. Attamen, cunctis adventitiis conditionibus remotis, certum est, ut illud nobis exemplo sit, « spatia perlustrata ad quadratum tempus esse demensa, » ita ut lex illa verbis certis necessariisque, ut in mathesi, enuntiari possit.

Igitur non satis est si quis res ita constare affirmat, sed etiam dicendum eas non posse non ita constare. Et quidem, eo quod leges mathematicis verbis enuntiantur, immutabiles videntur haberi : siquidem mathematicæ veritates omnino immutabiles sunt. Etenim, qualescumque numeri in complexionibus, ut ait Leibnizius, adhibeantur, ipsæ complexiones eædem remanent ; ideoque, ut aptius eæ designentur, universis signis et numeri et figuræ ipsæ repræsententur : unde et in mathematicis et in geometricis adhibetur methodus algebrica. Algebra autem, ut iterum ait Leibnizius, quæ longe optima est ad mathesim methodus, in dies magis ac magis naturæ disciplinis immiscetur. Nec enim mathematica verba mere sunt signa ad tempus utilia ; sed econtra, si hujusmodi verba tum in physicis et in chimicis, tum in variis de vita scientiis jure usurpari possint, id fieri nequit nisi quia quidquid fit motus est et proinde immutabilibus numerorum legibus subjicitur. Quemadmodum autem in Theodicæa, quum divinæ perfectiones inductione repertæ fuerunt, eædem deinde ex Entis essentia deduci queunt (1) : sic in naturæ disciplinis, quum leges inductione inventæ sunt, eædem ex ipsa rerum complexione possunt deduci : quod fecit Neutonius de legibus a Kepler inventis (2). In eo itaque sensu neque Pythagoras errabat, quum numeros rerum essentiam docebat, neque postea Augustinus, quum affirmabat universum immutabilibus numerorum legibus gubernari.

Quum autem leges dicuntur æternæ, immensæ, absolutæ, immutabiles, eo ipso dicuntur et necessariæ, quod ex omnibus præfatis sequitur. Nunc jam inquirenda est

(1) V. Gratry, *Connaissance de Dieu*, 1e partie ch. VIII.
(2) Cf. Gratry, *Logique*, liv. IV, ch. III.

hujus legum necessitatis ultima ratio, quæ in earum metaphysico fundamento residet. Manifestum quidem est has omnes notas quas legibus attribuimus, nihil aliud esse quam ipsas Dei perfectiones : quippe reipsa leges sunt ideæ divinæ et in Λόγῳ, ut in suo principio, permanent.

Sed duplici modo Verbum divinum, apud Platonem Λόγος, considerari potest : ad intra scilicet et ad extra. Verbum quidem internum nihil est nisi Deus seipsum cognoscens, cui ex propria essentia et absque ulla limitatione prædictæ perfectiones conveniunt. Verbum vero externum illa vox est quam Deus extra se profert atque in creaturis manifestat. Porro illud Verbum internum Verbo externo aliquatenus exprimitur, quum creaturæ Verbi æterni radiis illustrantur et in rebus delineatur Dei vestigium. Materia quidem et finitæ vires in genere hanc divinam imaginem nonnisi imperfecte reddunt, quum ex parte sint et « veniant transeantque. » At ideæ, sensibilibus immixtæ et præsentes, tamen a suo foco non discedunt, insunt enim entibus, sed ab illis distinctæ ; denique non ex creata natura, sed ex increata essentia pendent et in ea resident.

Tum demum superest Ideas Verbum esse cum omnibus propriis perfectionibus. Etenim sive Deus sibimetipsi æternam vocem, quæ Verbum ad intra, pronuntiet, sive eamdem vocem in tempore proferat et in creaturis quasi incorporet ut Verbum ad extra manifestetur, unum et idem Verbum est, Deo et *coæternum* et *coimmutabile* et *coabsolutum*.

Sane et absque ullo dubio, Deus nulla necessitate cogitur ut ex seipso exeat et Verbum ad extra emittat, quo in sensu nec naturam existere nec leges exerceri necesse est. At simul ac Deus ad extra loquitur et illius voce creatur mundus, leges quibus summa rerum regitur

eo quod Verbum et ideas exprimunt, omnium Verbi perfectionum debent esse participes. Et vero, quemadmodum ratio humana nihil aliud est nisi divinus intellectus in nostra mente aliquo modo insitus ac præsens, adeo ut, ex omnium consensu, veritates necessariæ quæ ex eo commercio defluunt, merito dicantur, sicut ipse Deus, æternæ, universæ, immutabiles, absolutæ, ut Fenelo peritissime ostendit : sic naturæ leges nihil sunt nisi hæc eadem cum propriis perfectionibus summa ratio, quæ omnibus rebus præsens inest. Revera enim et rerum et mentis eædem sunt leges (1), unde fit ut et mundus intelligi possit et viri magno ingenio præstantes mundi arcana quasi intueri et perspicere aliquando valeant (2).

Cæterum nonne humana ratio agendi nostræ sententiæ convenit ? Nonne humanus noster intellectus, quantum in se est, eodem modo de propriis cogitationibus sese habet ? Etenim quum vir, quadam cogitatione concepta, postquam hanc vocem intimam, quæ quasi ejus Verbum dici potest, intus perspexit et contemplatus est, eamdem dein ad extra expromit et sermoni incorporat, nonne perennem eam fore intendit ? Et revera sæpe humanæ cogitationes et sententiæ adeo firmæ ponuntur, ut aliquatenus veram perennitatem usurpent. Ita videlicet Platonis et Aristotelis mentem, si eorum opera vere integra supponantur, talem habemus qualem emiserunt. Equidem vocabula quibus usi sunt consenuere nec jam hodie adhibentur, unde eorum lingua merito dicitur mortua : attamen qui hanc linguam sciunt

(1) V. caput sequens.

(2) Nec objiciatur tali sententiæ scientiam quæ a *priori* fieret temere favere, siquidem in quolibet genere ad Rationem nonnisi inductione pervenitur.

et intelligunt, eorum mentem in verbis quibus insita est, vere assequuntur; quinimo, his verbis e græco in queml bet sermonem translatis, mens eorum perstat : quod certe ipsi Aristoteles Platoque intenderunt et voluerunt. Hujus enim est qui eximio ingenio præstat, velle et studere ut sua opera nunquam pereant : ut egregius ille poeta cecinit :

Exegi monumentum ære perennius.

Ne autem dicatur « talem immutabilitatem morti « parem esse, quod auctores jam ad propriam mentem « mutandam nihil valere possunt et eorum voces quasi « exanimes videntur. » Quod quidem dixerunt Socrates et Plato (1); sed de sermone scripto agebant, quum ad oratoris eloquentiam et actionem confertur, quæ sane multo vehementius animos commovent : at valde immerito perennitatem et vitam uberiorem suis operibus Plato denegavit, siquidem hujusmodi modestiæ et fere fracto animo eventus nequaquam respondit. Quot enim et quanta ingenia, omnibus deinceps temporibus, ex hoc fonte veritatem hauserunt et in dies haurient, ut propriæ vires adaugeantur ! Revera quidquid summi illi sapientissimique viri cogitaverunt et scripserunt, adhuc sub vocabulis adeo viget, ut magis ac magis lumen inde oriatur ; veritas quippe haudquaquam consenuit; quinimo non in verbis, tanquam in arcto carcere, continetur aut intercluditur; sed, ut eximie docuit quidam hodiernus auctor (2), vera vox, semel emissa aut scripta, sæpius plus complectitur quam ipse orator aut scriptor in ea inseruit, et, si quis eam attente et acute intueatur

(1) Vide quid de scripto sermone dixerit Socrates in Phædro.
(2) V. P. Gratry. *Connaissance de l'âme*, l. II, c. II.

et scrutetur, illius vocis fit quasi dilatatio, ita ut e veritatis radio qui primum in ea insertus est, ad ipsum æternæ infinitæque veritatis focum ascendatur : qui processus non alius est, quum mens nostra e phænomenis, quibus manifestantur leges, ad summum Intellectum a quo istæ leges concipiuntur, gradatim assurgit.

Verumenimvero Verbum divinum non modo Dei, æterne scipsum cogitantis, imago est; sed etiam omnia entia et omnem essendi rationem continet. In eo, seu, quod idem est, in semetipso Deus omnes qui possunt fieri mundos æterne cogitat. Quam æternam cogitationem Deus quadam temporis vice ad rem adducit; statimque entia creata illico ideas seu leges accipiunt et manifestant. Sed, quemadmodum vocabula humana, de quibus supra sermo erat, consenescunt mutanturque et in eorum vicem alia usurpantur quin mens inscripta eadem esse desinat : sic entia creata mutari, consenescere aut perire possunt, et alia innumera in eorum locum ad ideas omnibus modis manifestandas sufficiuntur; sed mens divina et ipsæ ideæ semper eædem perstant. Sane Deus, ut jam dictum est, nulla necessitate ad loquendum cogitur, nec omne quod in se cogitat ad rem loquendo adducit, siquidem summam illius cogitationem omnes creaturæ simul sumptæ integram repræsentare nequirent. Sed quod Deus dicit, id vere dicitur et permanet. Cœlum quidem et terra, id est, phænomena speciesque, transibunt; hujus mundi figura mutabitur et forsan in meliorem vertetur : at Dei vox et decreta, seu leges, nequaquam movebuntur. Omnia enim adolescere et in melius verti augerique possunt, quin inter phænomena convenientia, quæ sunt ipsæ leges, flectantur; quin numeri, ut aiebat Pythagoras, ulla quovis modo perturbentur.

Quo explanato, forsan oporteret instare et demons-

trare legum naturalium necessitatem cum mundi contingentia posse convenire. At primum omnibus patet eventus omnino diversos et dissimiles eadem lege gubernari, sicut ex uno eodemque corpore, varia elementorum dispositione, alia corpora ejus proprietatibus valde dissimilia possunt effici. Præterea leges, etsi necessariæ sint et immutabiles, tamen ita amplæ et universæ constant, ut eventus vel dissimillimos gubernent, qua ex varietate oritur contingentia. Denique in capite sequenti hanc difficultatem tollere aggrediar.

VI

DE LEGIBUS PHYSICIS ET DE LEGE MORALI

Contingentia quæ ad eventus et phænomena pertinet, oriaturne ex eo quod naturæ leges adeo sint multiplices ut, quaque certos effectus producente, effectus multis variisque modis inter se componantur? Sintne revera innumeræ leges, an potius lex una universum regat? Quinimo, num lex altera mundo physico, altera moralibus actibus præsit? Hæc omnia disquirere eo majoris momenti mihi videtur quo, his quæstionibus solutis, hujusce disputationis facilior conclusio fiet.

Nonnulli quidem philosophi, ut Malebranchius et Leibnizius, admisso eo principio, scilicet oportere minimam esse impensam simulque viis agi simplicissimis, statim affirmarent unam esse legem physicam. Verumenimvero si leges sint ideæ divinæ et externa Verbi manifestatio, a priori certum videtur omnes ideas et proinde leges ad unam reduci debere, quæ cæteras et omnes et singulas eminenti modo contineret : siquidem Λόγος, qui Deus est, quemadmodum Deus unus est, sic et unus est affirmandus.

Sed hic scientia ipsa imprimis audienda est; pronior

autem hodie quam quum maxime apud doctos propensio est, ut inter multos variosque eventus unam vim regentem detegant : cui opinioni fere assentiunt viri et scientia et theologia præstantissimi, ut P. Secchi et Moigno. Sed et summi physici, ut Regnault, experientia duce, ad antiqua priorum sapientum cogitata redeunt eamque produnt hypothesim, nempe omnia entia uno eodemque elemento constare, qui forsan aliquis vapor gallice « hydrogène » diceretur : cujus particulæ innumeris diversissimisque modis cohærerent.

Quod si non jam ad entia aut eventus, sed ad leges spectemus, quidam auctor apud nos præclarissimus cunctas in unam contrahere haud inepte nec sine laude aggressus est H. Spencer, quo nemo forsan nostra ætate universam scientiam aptius amplectitur : qui omnia suæ de evolutione legi subjici profitetur. Quidquid autem sit de hac hypothesi quatenus veram entium originem explanet, tamen valde mirum est quanta solertia omnibus cujuslibet modi eventibus hanc suam legem congruere ostendat. Quod tentamen, licet fere omnes hodiernæ philosophiæ fautores summis laudibus extollant, forsitan nihil tam novi affert, siquidem lex ipsa, si minus in propriis verbis, at certe in sua essentia, antiquitus quodam modo perspecta est et indicata. Quinetiam sedulo inquirenti perspicuum foret nihil aliud ab H. Spencer revera doceri, nisi quod omnes summi philosophi docuerunt.

Etenim quid summatim est illa lex de evolutione nisi hoc principium, nempe omnia entia ex quadam certa dispositione ad alteram non modo magis multiplicem sed et perfectiorem perpetuo transcendere ? Atqui nonne Plato ait : « Quidquid sensibile est aliquid intelligibile manifestat, et ea lex est cuilibet viventi ut suam ideam aut archetypum assequatur ? » Nonne et Aristoteles : « Quid-

quid existit, e mera potentia ad actum tendit, ut ad actum purum quam proxime accedat ? » Et, apud hodiernos, nonne docet Cartesius : « omne ens pronum ut in suo esse, ut aiunt, perseveret? » Quibus quidem verbis non intelligendum est entia semper eadem permansura, sed pari tractu ad suum finem constantia progredi ; præterea, prout quodlibet ens progreditur, quiquid veræ existentiæ acquirit, ad id quod jam habebat, additur et coalescit ; et quum unoquoque temporis momento aliquid existentiæ affertur, quod rursus permanebit, ita continuus fit progressus. Porro ad hanc Cartesii legem universam nonne referendæ sunt ea lex qua corpus quodlibet grave, ut decidit, motum accelerat, et lex quoque illa qua in omni vivente organa producuntur et totum denique evolvitur corpus? — Quid tandem apud Leibnizium illud de continuo principium, nisi lex ipsa evolutionis, qua propriæ perfectionis gradus singillatim perficiuntur ? Neminem enim fallit, juxta Leibnizium, et mundum universum et singulas monades quibus constat, ad meliorem statum assidue progredi dum cunctæ facultates enti creato insitæ magis ac magis explicentur (1).

Igitur hodierni docti illi qui hanc de evolutione hypothesim defendunt in qua fere omnis scientia contrahitur, nihil aliud nisi mentem horum illustrium philosophorum reipsa edocent. Sed peculiarem laudem assequentur, eo quod aptissime quamvis singularem legem ad unam universamque et existentiæ et vitæ legem reduxerunt.

Quid tandem de lege morali? Attente perspicienti ma-

(1) « Il me suffit que la machine du monde soit construite avec tant de sagesse que toutes ses merveilles se manifestent par son développement même, et, que selon moi, les êtres organisés exécutent leur *évolution* d'après un plan préconçu. » (Leibniz. *De la nature en elle même.*)

nifestum fit in omni particulari præcepto, quo imponitur officium, et unam hanc universamque legem reperiri quam his verbis antiqui enuntiaverunt : ὁμοίωσις τῷ θεῷ. Ens nempe quodlibet, si ratione et libertate donetur, quantum perfectionis in seipso est, assequi oportet, et omnes illius facultates et actus ad summam perfectionem tendere, ut quam optime ideam quam de illo Deus concipit, perficiat.

Ita ergo perfectionem aut ideam reddere, ea est una lex qua omnia tum in physicis, tum in animis creatis gubernantur.

Ita rursus, quum H. Spencer suam legem his verbis enuntiat : « Evolutio est quædam materiæ adintegratio, « comitante quadam motus dissipatione, ex qua materia, primo indefinite inordinateque homogenea, postea « fit definite ordinateque heterogenea, dum motus ser- « vatus similem mutationem accipit (1), » hac eadem definitione, mutatis quidem mutandis, nempe viribus et actibus pro materia et motu sumptis, ipsa quoque lex ethica posset enuntiari. Et quidem ipse quoque Spencer *in Primis Principiis* suam legem animi affectibus admovet (2), sed fere tantum iis qui ad intellectum pertinent.

Hanc eamdem in *Evolutionis Ethica*, sed, me judice, haud accurate usurpat. Quod econtra sic fieri posse mihi videtur : scilicet evolutio moralis, quæ nobis perficienda est, ex cupidinum inordinata mole, quæ pectori intimo inest, initium capit ; quæ cunctæ cupidines felicitatem inhiant, sed indefinite inordinateque, ita ut inutiles evanescant. Motus igitur nobis sunt refrænandi et contrahendi ; uno verbo, omnes facultates ordinandæ sunt

(1) H. Spencer. *Premiers Principes*, p. 424 de la Trad. française.
(2) Ibid., p. 418.

ut definitum finem prosequamur, nempe perfectionem, in qua virtus et felicitas conveniunt. Quam ut teneamus cuique cupidini suum munus, separatis officiis, imponendum : tum animus quum e libidinum dissipatione tumultuque in seipsum redit seseque recolligit, motu non amisso sed contracto, vere ad proprium finem vergit ; et proinde is animus, « primo indefinite inordinateque ho- « mogeneus, deinde fit definite ordinateque heteroge- « neus, » siquidem simul et unus et multiplex (1). Quo sensu virtus jam a Pythagora et Platone concentus seu harmonia dicebatur. Motus autem quem *servatum* Spencer nuncupat, non mihi aliud est quam vires recollectæ, id est, consueta virtus.

Num igitur oportet physicam ethicamque omnino inter se confundi, ita ut inter mechanicos cæcarum virium motus et liberos actus humanæ voluntatis omne discrimen tollatur ? Absit : siquidem inter diversos actionis gradus nativum et ineluctabile discrimen subsistit. Equidem fateor, ad tuendam ethicam hominis dignitatem, non mihi necesse videri ut inter eum et reliqua mundi entia quasi abyssus interjiciatur ; nec dubito agnoscere entia creata « gradu » tantum, non « natura » discrepare. Quid cæterum refert, dummodo distinctio et intervallum propriis viribus insuperabile inter entia his gradibus statuatur ?

Quod discrimen oriri non ex lege quæ omnibus entibus est una, sed ex ipsa virium, quibus lex præest, nativa dispositione, accurate mihi nunc explanandum. Et vero si perpetua entium series spectetur, in infimo gradu cæca fatalisqus subordinatio est ; in gradu autem summo rationale liberumque obsequium ; ubique igitur finitæ actionis ad infinitum actum evolutio. Præ-

(1) « Nous manquons à la fois de nombre et d'unité » (P. Gratry.)

terea, quid impedit quin, vel in actione infima, superiores facultates quasi inchoatæ detegantur ; quin videlicet spontaneitas fere indeprehensibilis physicarum virium, ut verbis Leibnizianis utar, tanquam aliquod, tam parvulum quam quisque intendet, conscientiæ libertatisque rudimentum habeatur (1) ? Sic igitur conscientia et libertas in mundo coexistunt simul ac ipsa lex necessaria : siquidem lex, etsi necessaria, nusquam tamen necessario agit. Neque hic mihi inquirendum est *quomodo* summus legislator varias legis transgressiones quæ in mundo apparent aut præsertim ab homine committuntur, in summa postremo ad ordinem sit redacturus. Jam satis est si ex experientia spontaneitas libertasque in mundo constent et ex ratione lex necessaria inducatur et affirmetur, quin ulla certa contradictio inter duo hæc possit constitui. Quum enim Deus imperat, singula creata juxta proprium modum propriasque dotes obediunt. Mirandum vero ! quo inferiora et ad reluctandum imbecilliora entia sunt, eo perfectius obediunt et proinde eo perfectiora videntur : dum econtra homines, inter omnia entia quæ novimus excellentissimi, sæpissime et quidem multo gravius peccant, licet tamen absque ullo dubio libertas in se sumpta spontaneitati longe præstet. Forsan autem dici potest libertatem spontaneitate adeo esse meliorem ut vel unus bonus actus (quippe homo vel deterrimus, tamen in sua vita nonnihil boni admittit, quum malum nihil aliud sit nisi aliqua libertatis defectio, homini profecto imputanda), omnibus universi motibus multo antecellat. Forsan quoque, cunctis hominibus simul sumptis, malum bono superatur, ita ut tota universi evolutio ad bonum pergat. Quidquid autem sit,

(1) Cf. Boutroux : *De la contingence des lois de la nature*, p. 118 et suiv.

talis evolutio a Deo necesse intenditur ; seu potius ea lex una necessariaque omnibus creaturis existit : nempe ut bonum in creatione omnibus gradibus quam optime fiat.

Quo posito, quidquid veri in qualibet peculiari doctrina continetur, facile delibare mihi videor ; et imprimis, ne rursus Platonem, Aristotelem, Cartesium aut Leibnizium appellem, qui, ut supra dictum est, verbis vix diversis idem sentiunt, hodierna illa de evolutione hypothesis longe clarior innotescit, ita ut omnino intelligi admittique valeat. Præterea, missis cunctis ambagibus quæ pantheismum redolent, haud difficulter recentes disciplinas interpretor, juxta quas omne ens, primo haud conscium, sensim ad conscientiam assurgit. Nec tandem me fefellit doctrina illa haud inepta qua libertas tanquam fundamentum et ultima essendi ratio cujuslibet existentiæ ponitur : ita ut Secretan et aliquatenus Fouillée, simul ac neocriticistæ, Kantii hæredes, in hoc mihi videantur quemdam veritatis adspectum reddidisse.

Denique duas theses ad quas imprimis spectat hæc disputatio haud falso dignoscere me arbitror (1).

Etenim, ni fallor, vere id sentit prior, nempe contingentiam et ejus perfectissimum modum, id est, libertatem non legibus, sed eventibus ; nec Deo (2) qui imperat, sed mundo et homini qui obediunt convenire. Quam sententiam quasi propriis verbit enuntiat quum ait : « Mun-« dus innumeros variosque eventus præstat, quos inter « necessariæ et immutabiles connexiones existunt (3) ; »

(1) Scilicet, « *De la contingence des lois de la nature,* » auctore Boutroux ; et « *Du fondement de l'Induction,* » auctore Lachelier.

(2) Vide inferius, ad hujusce capitis calcem, in quo sensu sit intelligendum.

(3) « Le monde est une variété infinie de faits, et entre ces faits « existent des liens nécessaires et immuables. » (*De la contingence des lois de la nature.*)

et alio loco : « Quum supra seipsum intuitu finis ad quem « natus est innititur, homo et propriam naturam et mun- « dum quem incolit superare potest (1) ; » id est, quantum potest, propriam perfectionem consequi.

At vero ipsius auctoris menti accuratius fideliusque quam ipse auctor, inservio, quum præfata verba non de homine tantum, sed etiam de omni ente præsumo sic intelligi : omnia entia creata aut magis aut minus percipiunt, ut ait Leibnizius, ideam proprii finis, a Deo clare conceptam ; et sic perfectiora fiunt. — Nullo autem pacto his aliis ejusdem auctoris vocibus assentirem : « Si Bonum et Pulchrum omnino prævalerent, naturæ leges statim tollerentur (2). » Leges enim naturæ non aliæ sunt ac ipsa lex moralis, sed inferiora entia regens ; atque « libera series animorum, » ut ait ipse Boutroux, non alia habenda est ac tota monadum series, quum omnes monades, juxta Leibnizium, aliquatenus appetitione perceptioneque, id est, agendi facultate, præditæ sint.

Neque ab auctore præclaro Lachelier dissentio quum dicit : « Vera de mundo philosophia res incorporales « ubique existere affirmat, ita ut attente consideranti « omne ens sit quædam vis, omnisque vis sit quædam « cogitatio quæ magis ac magis conscia fieri cona- « tur (3). »

(1) C'est en prenant en définitive son point d'appui au-desssus de soi, dans l'idée même de la fin pour laquelle il est né, que l'homme pourra dominer et sa propre nature et le monde qu'il habite. (Op. cit., p. 184.)

(2) « Le triomphe complet du Bien et du Beau ferait disparaître les lois de la nature. » (Op. cit., ad calcem.)

(3) « La véritable philosophie de la nature est un réalisme spiritua- « liste aux yeux duquel tout être est une force, et toute force une pen- « sée qui tend à une conscience de plus en plus complète d'elle- « même. » (*Du fondement de l'induction*, ad calcem.)

At neque legem quæ harum virium evolutionem regit, neque inductionis fundamentum duntaxat in ipsa vi ponerem; sed extra et supra eam vim residere arbitror. Aut potius, ut propius auctoris mentem assequar, non certe tantummodo adsciscerem « quemdam moralis fidei actum ut cogitationis simul et naturæ fines transiliantur (1). » Ea enim ethica quæ cogitationis fines transgreditur neque ideo jam cum conscientia convenit, plane in quemdam cæcum mysticismum incidit, qui proinde nihil morale retinet; itemque ea fides moralis quæ ipsos naturæ fines superat, iterum est nescio quis alius mysticismus qui nullo modo admitti potest, siquidem homo extra naturam et extra ipsam humanitatem ita ponatur. At saltem *gratia*, ut verbis utar theologicis, nec naturam nec libertatem destruit, sed, ut ait Leibnizius, « gratia naturam, illius viribus utens, perficit (2). »

Ultima denique difficultas restat removenda, ut plane inductivus a finito ad infinitum transitus explicetur, et proinde inductionis fundamentum et propria virtus omnino innotescat.

Equidem quum haud naturam, sed legem necessariam affirmavimus, nonne aliquo modo videmur a natura, quæ est omnibus gradibus aut spontanea aut libera, ad Deum ipsum, qui fato ineluctabili subjiceretur, imperfectionem transtulisse?

Quod vero in hac propositione merito repugnare videtur jam evanescet, si necessitas recte intelligatur. Forsitan enim vox illa « necessitas » vix convenit : siquidem

(1) « Franchir par un acte de foi morale les bornes de la pensée en même temps que celles de la nature. » (Op. cit. ultima verba).

(2) « La nature mène à la grâce et la grâce perfectionne la nature en s'en servant. » (Leibniz. Edit. Erdm., p. 717.)

omnia vocabula quibus ad exprimendas Dei perfectiones utimur, necesse aliquo modo deficiunt. Quidquid autem sit, num vere necessitas nostro sensu sumpta et libertas inter se repugnant?

Profecto repugnarent, si facultas qua nostra consilia mutamus evertimusque et malum pro bono eligimus, proprie ad libertatis essentiam pertineret. At econtra ea est humanæ libertatis conditio, quia imperfecta est, non autem libertatis, quæ omnino esset perfecta. Etenim vel si de homine agitur, quum, ordine violato, aliquam culpam admittit, revera deficit illius libertas; nedum in sua essentia exerceatur; vera autem solaque vere moralis libertas quæ homini congruit, in eo consistit ut, omni coactione remota, bonum in dies majus adimpleatur. Quod si de infinita libertate sermo est, quoniam infinite est perfecta, summum bonum, ordine nunquam et nullatenus deficiente, consequitur : qua libertate Deum deficere fieri nequit, siquidem libertas divina cum ipsa Dei essentia convenit; « nec alia est, ut ait Leibnizius, ac vera moralis necessitas. » Equidem Cartesius docuit veritates necessarias ex Dei voluntate pendere : at in eo Cartesius aut obscurius loquitur, quum his verbis supponi potest has veritates necessarias a Deo posse mutari; aut reipsa errorem admittit, siquidem eum fugit, quum in Deo Intellectum Voluntati subjicit, unum idemque esse in Deo Intellectum et Voluntatem. Veritates enim necessariæ eo ipso necessariæ sunt quod sunt ipsa Veritas, id est, ipse Deus. Itaque necessitas, hoc modo convenienter sumpta, non alia est quam infinita libertas, non vero cæcum et insuperabile fatum cui Deus subjiciatur.

Qua difficultate sublata, ad ultimas denique conclusiones nobis est transeundum.

VII

CONCLUSIO

A nonnullis forsitan objicietur : « Quid refert naturæ leges, eo quod sunt summæ legis participes, necessarias esse, si eventus ipsi, admissa omnium entium, quibus leges admoventur, contingentia aut libertate, necesse semper incerti remaneant ! Quum enim nunquam constat leges non violatum iri, hi eventus neque sciri certo neque prævideri queunt, et proinde scientia parum utilis aut potius nulla evadit. Unum igitur superest ; nempe ut in mysticam Entis unius contemplationem sterilemque Eleatarum et Alexandrinorum metaphysicam omnes confugiant. »

Quod quidem nequaquam timeant qui scientiam utilem et, ut hodie aiunt, positivam extollunt : etenim varios eventus et observare et scrutari plane securi possunt ; siquidem tantula est physicarum virium spontaneitas et proinde contingentia, ut in usu computationes nunquam falsæ deprehendantur ; imo ipsis animi et voluntatis liberæ actibus ita eædem computationes admoveri *queunt* ut psychologiam ethicamque haud immerito experimentis instituere liceat.

At vero *positivistæ* inductionem usurpare non jam sibi arrogent : sola enim deductione illis est utendum, neque aliud jam valent nisi in variis eventuum vicibus eamdem motus quantitatem, ex inferiori æquipollentiæ et identitatis lege, reperire : quæ scientia est mere empirica. Neque aliter ac isti medici, de quibus Aristoteles loquitur, perite forsan prævidere possunt quinam eventus certos eventus alios secuturi sint ; imo et antecedentia quodam modo ponere aut mutare illis continget, ut quædam morbidæ affectiones seu in corpore, seu in intellectu, sive etiam in voluntate aliter sese habeant, aut etiam sanentur, licet ex ipsa phænomenorum complexione et diversitate, errori admittendo interdum sint obnoxii. Quid multa ? Certam cujusdam motus quantitatem ut alium motum pari quantitate producant, servare et contrahere valent : unde orientur et artium physicarum prodigia et omnia vitæ corporalis commoda, denique vel cultiores mores ; atque ita haud immeritam laudem consequentur, nec sane committam ut deductivo syllogismo et illi arti qua veritates mathematicæ aliæ ex aliis detrahuntur, obtrectem. Præterea hi docti viri, vi nativæ logicæ illiusque innatæ fidei qua, Deo volente, quælibet mens humana legi sponte credit, ipsam inductionem usurpare aggredientur ; sed quum hujus methodi propriam naturam nesciunt, Deum, cujus donis utuntur, negare pergent. At brevi ad leges adhibendas, seu ad deductionem, redibunt : adeo urgent utilia ! adeo ista eventuum quasi tractabilis certitudo, licet minuta, iis sufficere videtur qui a cæteris prospectibus oculos averterunt !

Vera autem scientia, quæ, Aristotelis judicio, principia causasque assequitur ; quæ, teste Platone, ad essentias veritatemque puram transcendit ; de qua tandem loquitur Leibnizius his verbis : « Deus geometriam exercet

« et mathesis est quædam pars mundi intelligibilis, « aptissimaque ad illius aditum aperiendum (1), » vera, inquam, illa scientia illos fugit; siquidem ad eam consequendam, propria ejus methodo plane indagata, necesse est imprimis non ab Infinito et Deo quasi abhorrere.

Ad Deum enim, tanquam ad suum finem, illa vera scientia, qua est eadem ac metaphysica, ultimo vergit, atque inductio, quæ in ea adhibetur, est ontologicus processus, quo vivam veritatem, id est, Deum ipsum consequimur. Innititur autem in ea fide, qua ratio in semetipsam et in proprium ejus objectum sponte credit, impetumque illum quo ad objectum transilit, rectum firmumque comprobat.

Objicies denique : si fides et impetus adsunt, num jam existit ratiocinatio aut demonstratio? — Remotis quidem cunctis verborum ambagibus, fatendum est quamlibet ratiocinationem demonstrationemque, sive deductivam sive inductivam, in quodam rationalis fidei actu inniti, neque aliud est ratiocinatio et demonstratio, nisi analytica indagatio qua varia hujusce fidei actus veritatisque affirmatæ elementa plane secernuntur et perspiciuntur. At vero, quum deducitur, primo initio seu in majorem syllogismi propositionem ponitur fidei actus; quum autem inducitur, in fine et in conclusionem. Cæterum, ut deducenti non semper regrediendum est usque ad ultimum omnis evidentiæ fontem, id est, ad æternam veritatem quæ ipse Deus est : ita qui inducit, sæpissime subsidet priusquam ultimum finem cujusvis

(1) Edit. Erdm. p. 191. Leibnizius addit : « Je crois que son intérieur (de la science mathématique) est quelque chose de plus. J'ai insinué ailleurs qu'il y a un calcul plus important que celui de l'arithmétique et de la géométrie, et qui dépend de l'analyse des idées. »

impetus quo mens transcendit, id est quoque, æternam veritatem Deumque teneat. Ille quidem secundaria at præsenti evidentia contentus est, hic vero satis esse putat, quum legem aliquam detexit. Sed hinc et illinc veritas Deusque tacite et implicite affirmantur et aliquatenus perspiciuntur, quum aut admittitur aliquod axioma aut lex aliqua detecta est.

Præterea nemo deducere potest plane sciens cur ita certitudinem assequatur, nisi quum rationis facultas adulta et explicita invaluerit : quod quidem una fit conditione, si quis clare intellexerit æternam veritatem summamque evidentiam ipsum Deum esse. Porro ut mens eo evidentiæ assurgat, necesse est cæcum mysticismum relinqui fidemque illam « carbonarii » quæ Dei notionem nonnisi obscuram et quasi per caliginem affert : ita ut mens, postquam inductionem et disciplinas exercuerit, plane conscia fiat.

Ea autem inductio, quæ ad scientiam pertinet et qua naturæ leges inveniuntur, tantummodo pars est inductionis rationalis quæ ex omni veritate particulari ad absolutam veritatem se extollit. Quod si scientiarum illa inductio huic rationali non cohæreat, si quælibet lex inventa tanquam divina idea haud habeatur, vera certitudo reipsa existere nequit.

Itaque expressa et disciplinis exercitata fides qua in Deum et in ejus providentiam, et proinde in ordinis et legum naturalium necessitatem credimus, verum est fundamentum illius inductionis quæ ad scientiam spectat, sicut firma in veritatem fide inductio rationalis innititur.

Quæ ipsa rationalis inductio tantummodo pars habenda est universæ illius inductionis quæ ad omnes humanæ mentis facultates pertinet et qua omnes hæ facultates ad Deum pari impetu transcendunt. Etenim,

ut scientia et ratio, de quibus hæc disputatio fuit, Deum ipsum inductione assequi demonstratæ sunt : ita pariter demonstraretur artes ingenuas et ethicam ad Deum vergere ; et sic explanaretur tota inductio. Sed ne præsentem disputationem ulterius protraham, uno verbo jam concludendum est, inductionem esse quasi ipsam animi vitam seu evolutionem speculativam, estheticam et practicam, ut his verbis utar; qua ens ratione, sensu et libertate præditum assidue ad summum Verum, Pulchrum et Bonum vergit et conatur.

Igitur denique ille qui legitimam certamque esse ducit inductionem et fidens eam exercet, suo toti animo credit reveraque vivit, dum Deo semper adsciscenti fidens respondet.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, A. D. III idus jan. Ann. M DCCC LXXXIII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

6930. — Ex typis Generalibus Lugduni. — J.-E. Albert, viâ Condé, 30.